



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

i. Objectum materiale Logices non sunt voces manifestativæ
co[n]ceptuum logicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

LOGICA.

Præter naturalem Logicam, seu nativam intellectus nostri virtutem, quâ hic absque præceptis, adeoque non sine errandi periculo res novit definire, dividere, veritatem unam ex alia deducere, dari in eodem intellectu Logicam quandam artificialem & acquisitam, seu lumen aliud clarius, facilitatem aliam certiozem ad eadem præstanda infallibilis, manifestum est. Quæcumque uti scientiarum reliquarum, ita & Philosophia sit janua, ab ea dissertationes nostras ordimur.

DISSERTATIO PRIMA

De Natura Logices.



Logica scientia sermocinalis dicitur, non quod de vocibus externis disputet, aut de iis præscribat regulas (etsi vocibus utatur ad disputandum & regulas suas aliis explanandas more scientiarum

A

omnium

omnium humanarum) sed quia verbis internis docet discurrere, & sibi ipsi manifestare ignotum, id est, per conceptus obscuros cognitum, per conceptus clariores; adeoque objectum ejus non sunt voces, ne quidem ut manifestativæ rerum substantiarum nostris conceptibus logicis, sive in quantum constituunt Syllogismos, definitiones, divisiones vocales. Tractat igitur Logica de æquipollentia & suppositione terminorum & vocum indirectè & per accidens, agens tantisper Grammaticam, ut Tyronibus suis terminos artis exponat. Examinando verò syllogismum vocalem, potius syllogismum mentalem alterius per voces repræsentatum examinat; syllogismus enim vocalis etsi repræsentet syllogismum logicè bonum vel malum, & dispositionem medii mentalis cum extremis mentalibus seu artificium logicum, ipse tamen nec bonus, nec malus est logicè, quia artificium logicum non formaliter, sed tantùm repræsentativè continet, & tota hæc vocum seu medii vocalis cum extremis vocalibus dispositio spectat ad Grammaticam, cujus est, dispositio-

nem

nem conceptuum aptâ verborum dispositione & significatione exprimere, eritque syllogismus vocalis grammaticaliter bonus, si exprimat conceptus, uti in mente reperiuntur, sive hi secundum regulas logicas benè, sive malè sint dispositi; à quibus cum non imperetur aut dirigatur, sicut actus externus virtutis ab interno dirigitur & imperatur, ne quidem rationem objecti logices participat, sicut hic ab illo rationem virtutis. Est itaque quis Logicus ante voces & sine illis, dum syllogismum mentalem, aliosve actus logicos in mente solùm formavit.

II. Similiter quia Logica considerando genus, universale, &c. res ipsas substantes his denominationibus logicis cognoscit solùm indirectè & quasi per accidens, quia connexæ sunt cum significato formali harum denominationum, sive cum forma dante rebus has denominationes V. G. cum conceptu confundente multa per modum unius, in quem ipsa fertur primariò & directè,